

454

452

458

448

463

443

503

403

553

353

Ende

Anfang

443

in modum dentium distincti cacuminibus. Hos vulgus noster nominat montes nivium, eo, quod semper eorum vertices nive candeant, sicut orientales montes nive candentes nominant Caucasos, quia lingua eorum candor dicitur Caucasus. Quapropter aliqui eos non Alpes sed Albes nominant, propter albedinem. Quamvis autem omnia montana illa dicantur Alpes, singuli tamen montes singula habent nomina incolis nota; ut quidam altus et abruptus mons dicitur Wetraich, eo quod fulminibus saepissime infestetur, et eadem ratione pars montium inter Armeniam et Hiberniam dicuntur in orientali lingua Acroceraunii propter fulminum frequentes casus in eos. Non solum autem Alpes vestiti nivibus sunt albi, sed alii adustione solis decalvati cendentibus rupibus a longe videntur nivei. Sicut autem non subito, sed multo tempore facti sunt montes, sic jam non subito, sed paulatim decrescunt et defluunt, et rupes, quae mille annis minatae sunt ruinam, continuerunt, sicut experiuntur, qui saepe Alpes transeunt, magis autem qui immorantur; nam saepe noctibus ex casu minacium rupium tantus strepitus, rumor et percrepatio insonat, ut putetur mundus moveri. Vidi-
mus enim in vallibus jacere grandes petrarum moles, et in altissimis cacuminibus vacua loca et concavitates, ex quibus deciderunt.
Quamvis autem ipsi montes sint horribiles et rigidi gelu nivium aut ardore solis, et usque in nubes sua altitudine protendantur, ipsae tamen valles sub eis sunt amoena (b), fertiles et omnium mundi deliciarum abundantes, sicut paradisus. Ibi homines et jumenta in maxima habitant multitudine, et omnia quasi metalla de Alpibus effodiuntur, maxime argentum.

In tantis deliciis vivunt in montanis homines, et ita mundus ibi floret, ac si Venus, Bacchus Ceresque ibi principarent. Numquam ille crederet, qui a longe aspicit Alpes, tam deliciosos virere parados sub perpetuis nivibus et in montibus aeterna hieme et glacie irresolubili rigescientibus. Tam horribilis est enim Alpium aspectus, ut procedens contra eas, nisi expertus sit, pavescat et intrare formidet. Magnae profecto audaciae fuit Hannibal Poenus, qui primus dicitur Alpes fecisse pervias, quas nemo umquam cum exercitu transierat, ipse enim ita itinera et loca lapidosa, strues comburendo et acetum infundendo, patefecit, ut elephanta oneratus ire posset, cum antea vix unus homo quiret repere. Hic Hannibal quantae fortitudinis et audaciae fuerit, patet in multis

